Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2225

Quelle:
Copyright:

biae damnis, et Humilitatis commodis in D. *Bernardi* laudes excurrit. Unde et ad calcem dicitur *predicatus in conſtantia ad laudem dei et ſancti Bernardi.*

Fol. 97. Sine inſcriptione: *Mittam vobis frumentum vinum et oleum* &c. Incipit: *Pater miſericordiarum et deus tocius conſolacionis* &c. Paneggricus D. *Thomae.* Unde et ad calcem dicitur *predicatus in conſtantia ad honorem dei et ſancti thome Carthinenſis* (an *Cantuarienſis?* Sed *Aquinas* eſt) *doctoris eximij.*

Fol. 101. p. 2. Sine inſcriptione: *Egredietur virga de radice yeſſe* &c. Incipit: *Jocunda feſtiuitas et ſuauis eſt iſta, in qua nobis ad memoriam reducitur* &c. Totus agit de laudibus B. V. Unde ſubſcribitur *predicatus conſtantie de natiuitate glorioſe virginis marie.*

Fol. 111. p. 2. Sine inſcriptione: *Hic eſt Johannes* &c. Incipit: *Atteſtante veritatis excellentia difficillimorum operum oſtentacio* &c. Laudatio, nihil de rebus Concilii adtingens. Unde ad calcem: *Predicatus in conſtantia de ſancto Johanne ewangeliſta.*

Fol. 118. Sine inſcriptione: *Adducentur regi virgines* &c. Incipit: *Quoniam prima mater noſtra ewa excecauit mentis indaginem* &c. Laus Virginitatis, exprobratio malorum morum, etiam in Clero, commendatio Urbis *Colonienſis*; nam dicitur in calce habitus *de virginibus, de ſancta vrſula et eius ſodalibus.*

Fol. 122. p. 2. Sine inſcriptione: *Conſurget virga de iſrael* &c. Incipit: *Sanctiſſime virginis ac matris Domini omnium ſaluatoris, cuius conceptionis diem* &c. Copioſe et docte controverſiam de immaculato Conceptu προβληματικως quidem explicat; propendet tamen in adfirmationem. Inter alia: *Si pars illa manifeſte foret erronea, nunquam permiſiſſet eccleſia tot annis eam publice predicari, et maxime in loco, vbi ſunt papa cum cardinalibus, quos quondam dominos Cardinales plures vidi ſollempniter intereſſe miſſarum ſollempnijs et ſermoni, quando feſtum conceptionis agebatur. Nunquam eciam venerabilis Vniuerſitas Pariſienſis — ſuſtinuiſſet, quod illius partis poſicio ſingulis annis — fuiſſet in ſermone Vniuerſitatis ad clerum publice docmatizata.* Ad calcem: *Finis ſermonis de conceptione beate virginis marie.*

Fol. 136. e calce: *Sermo conceptionis incarnati filij dei creatoris.* Nempe in Feſto Annuntiationis. *Quomodo fiet iſtud.* Incipit: *Conſideremus, ſi hodie omnium mentes grandeſcunt ymaginibus rerum celeſtium* &c. Totus in expendendo Myſterio.

Fol. 139. p. 2. e calce: *Sermo de ſancta trinitate et maxime de cognitione vnius dei. Non eſt ſimilis tui in dijs domine.* Incipit: *Si plebs fidelis alias feſtiue commemorat deum patrem in feſto temporalis natiuitatis filij* &c. Sermo profundus et egregius, ſed res Concilii non adtingit.

Fol.